



Kem / 3495 (1-16)

552


2

D E
D I A R R H O E A,

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
PRO
CONSEQUENDIS SUMMIS
IN
MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIEUS
ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

A U C T O R
FRIDERICUS WILHELMUS ZAHL,
BEROLINENSIS,
SOCIET. SYDENH. HALENS. SOCIUS.

HALAE,
IN OFFICINA BATHEANA.



V I R O
ILLUSTRI ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O .
ERNESTO LUDOVICO
HEIM,
MEDICINAE DOCTORI,
SERENISSIMI BORUSSORUM REGIS
A C O N S I L I I S A U L I C I S ,
ET CELSISSIMI REGII
P R I N C I P I S F E R D I N A N D I
A R C H I A T R O

H A S C E
STUDIORUM ACADEMICORUM
F R I M I T I A S
S A C R A S E S S E V U L T

A U C T O R .

§. I.

Quam definitionem diarrhoeae medici afferre solent, ita fere absolvitur, ut illam et nimiam et justo magis fluxam alvum esse describant*). Hinc et Ill. BOERHAAVIUS **) pituitam, lympham, gluten, pus, ichorem, sanguinemque e naribus, ore, faucibus, oesophago, ventriculo, jecinore, vesica fellea, paucitate, canale intestinorum et mesenterio

*) CULLEN Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst, Leipzig 1789. T. 3. p. 533.

**) VAN SWIETEN Com. T. II. p. 377.



profluentem, diarrhoeae materiam esse contendit. Plures eorum, quae anno evacuantur differentias habet cel. LAMBSMA *).

Verum enim vero si, quae diximus, omnia ad diarrhoeam referre placeat, ea prorsus species morbi esse nequibit. Est enim alvi dejectio plurium morborum symptoma, quam et hepatis ulcera, et pancreatis bilisque secretio nimia, etc. movere possunt. Omnes hi toto coelo diversi morbi ideo, quod dejectione alvi, tanquam symptomate communi, afficiuntur, minime pro uno sibi simili morbo (pro specie) haberri possunt, nisi omnem pathologiam difficultatibus absurdis labyrinthoque inextricabili implicare velimus.

Quare alvi frequentior dejectio haud specifica morbi differentia, sed tantummodo signum plurium morbi specierum exhibebit. Sed ubi morbus rite definiendus est, non signa, sed ipsam morbi conditionem proferes.

*) Ventris fluxus multiplex. Amstaelod. 1756.

Quod vero signum diarrhoeae indicavimus,
(scilicet alvi dejectio frequentior) non unius
speciei morborum signum est, sed plurium.
Ipsum scilicet alvi dejectum, in sedibus appa-
rens, res est externa, quae morbus esse nequit.

Diarrhoeae peculiaris morboſa corporis
humani conditio subjaceat oportet, quae tan-
quam ſtatus internus ipfe morbus eſt haben-
dus, cuius alvi dejectio eſt ſymptoma. At,
ut docemur *), ſine morbo ipſo ſymptomata
eſſe nequeunt.

Quamobrem axiomate noſtro freti ſpe-
ciem morbi ex organo aegrotante, ejusque
genius ex ipta aegrotationis natura determi-
namus.

Igitur pro noſtro divisionis fundamento,
diarrhoea eſt actio excedens vaſorum
exhalantium tubi intestinalis, con-
juncta cum aucto motu periftaltico.

*) Reils Archiv 3. B. p. 124.



Partes aegrotae igitur sunt: vasa exhalantia intestinorum et fibrae musculares. Primaria autem morbi sedes in vasis exhalantibus esse, et fibrae musculares postea demum a lympha in tractum intestinorum effusa ad maiorem activitatem excitari videntur. LAMBSMA *) hunc morbum vocat ventris fluxum aquosum. Quam vero in hoc morbo vasa lymphatica rationem sequantur, ignotum est. Poteſt quis tempore matutino decem et plures libras fontis medicati bibere sine omni diarrhoea, cum omnis aqua reſorbeatur et per cutem et urinam abeat **). Quare, an in diarrhoea vasa reſorbentia nihil reſorbeant, an vero tantum exhaletur, quantum vel in optima reſorptione a vasis lymphaticis reſorberi nequeat, vel denique motus inversus vasorum lymphaticorum ad DARVINIUM adſit, decidere non audemus.

*) L. c. p. 67.

**) LAMBSMA L. c. p. 200.

§. 2.

Symptoma ta.

Diarrhoeae multa enumerari solent symptomata, quae vero eidem omnino attribuenda non sunt. Ego quidem huc modo proprios et specificos refero effectus status morbos supra explicati.

Excedente vasorum exhalantium efficiacia nimium lymphae in canalem intestinorum exhalatur. Lympha igitur et serum unica est materia, quae in diarrhoea evacuantur. Ergo diarrhoeae una materia. Excrements ab initio in canale adhuc residentia, diluuntur simulque effluunt, quae conditio diarrhoea stercoreacea audit. Stercore evacuato, lympha sola profluit, et diarrhoea aquosa dicitur. Morbo sic continuato etiam glandulae canalis intestinorum simul afficiuntur, et subsequentes sedes mucum seu pituitam, ut sumto laxante fieri solet, secum ferrunt. Hoc autem casu diarrhoea jam est morbus compositus. Perpetuo in sanis hominibus



liquor exhalatur in cavum intestinorum, sed modicus, qui succus gastricus et entericus dicitur. In diarrhoea haec exhalatio est naturali fortior, cum morbus sit quasi sudatio canalis intestinorum, perspiratio inversa. Qua de causa etiam facile ex transpiratione cutis suppressa oritur. Hi liquores in aegritudine vel excedente vel deficiente copia fecernuntur. In casu priori oritur diarrhoea, in posteriori alvus dura, obstructa. Igitur et jubentur illi, qui alvo dura laborant, una hora solito maturius surgere e lecto, quia eo tempore transpiratio peripherica ad canalem intestinorum vertitur et faciliiores sedes efficit.

In magno morbi gradu et violento exhalantium vasorum actione, vel in horum paralyssi, succi crassiores, lympha, fibra sanguinis, immo et globuli rubri (cruor) simul effunduntur, et secreta materia coloris cinerei est. (Diarrhoea cinerea Belgarum.) *). Hicce

*) LAMBSMA l. c. p. 69.

status varietas est diarrhoeae longe pejor illa,
et non raro mortem affert. Occurrit facile
in regionibus terrae paludosis. Diarrhoea
pura et simplex tanquam sequela aucti motus
peristaltici, dolore caret et tenesmo. Inter-
dum quidem borborygni et murmura intesti-
norum audiuntur, et in regione umbilicali
leves dolores sentiuntur ante sedes.

Effectus diarrhoeae absolvuntur partim
violentis partium affectarum actionibus, queis
vis vitalis omnino, et cumprimis illa partium
affectarum consumitur, partim jactura lym-
phae. Totum corpus extenuatur, tempora
concidunt, oculi subsident, genae flaccescunt,
pulsus minuitur ac debilitatur, calor evanescit,
aeger sitit perpetuo, et animi deliquia et con-
vulsiones postremo mors excipit.

§. 3.

Cauffa e.

Cauffa proxima hujus morbi est irri-
tabilitatis excessus in arteriis fecernentibus,



quo simul aequilibrium virium in fibris
muscularibus intestinorum turbatum est.

Causae remotae non semper inno-
tescunt: sunt vel absolute vel relative exter-
nae, perdurant vel cessaverunt. Quo refe-
runtur;

a) frigoris admotio et suppressa transpira-
tio; hinc in suppuratione variolarum
confluentium diarrhoea tam facile ori-
solet. Diarrhoea pituitosa chronica in
Indiis orientalibus a suppressione trans-
pirationis praecipue oritur, et tempore
pluvioso vel per earum terrarum hie-
mem communissima est. Obit homines
omnis aetatis et conditionis, et plures
saepe menses immo et annos continua-
tur.

b) laxantia et mitiora et graviora in in-
testina illata, rheum, jalappa, folia
sennae, una verbo omnia ea purgantia,
quae materia medica enumerat. Porro

dulcia, mel, manna, fructus horaei variii, poma in genere. Denique venena saltim ea, quae caustica quadam acrimonia foeta, corpori humano nocent,

- c) vermes, colluvies verminosa, faeces intestinorum a cibis male digestis,
- d) morbi aliorum organorum, qui tamquam caussae morbosae in canalem intestinorum agunt; e. g. cholepœsis hepatis, hepatitis, nimia secretio salivæ in pancreate, nimia secretio muci in glandulis intestinorum,
- e) constitutio epidemica: nam certis temporibus diarrhoeæ epidemicae gravantur. Caussae endemicae: e. g. aqua Parisiis ab advenis hausta; qui casus ab usu aquæ inconfusa et aliis locis certuntur e. g. Londini, Amstaelodami, et imprimis in Indiis orientalibus *).

*) LAMBSMA p. 226.



f) in febribus tandem compositis organorum consensu saepius diarrhoeam producit, cuius rei rationem explicare non possumus. Ista diarrhoea vel critica est vel symptomatica. Occurrit praincipue in febribus autumnalibus. Item capititis laesiones, difficilis infantum dentitio, nephralgia, nephritis et alii morbi diarrhoeam movent.

§. 4.

Diarrhoea ad triplex genus refertur, seu triplicem habet characterem, synocha e, typhi et paralyseos. Cum vero neque vasa canalis intestinorum, neque ea, quae evacuant, nostris sensibus immediate et mere pa-teant, haud adeo pronum est, characterem ipsum agnoscere, et character praincipue per constitutionem reliquorum organorum dete-gendus est.

Synocha diarrhoea. Irritabilitas arteriarum exhalantium canalis intestinorum

exaltata, nec ipsarum energia neque contracabilitas debilitata est; hinc tenuem tantummodo et seborosam materiam transmittunt. In nisi tamen violentiori aliquid etiam sanguinis potest transfundi. Vires vitales omnino firmae justaeque sunt. Oritur una cum aliis febribus, inflammatorio charactere praeditis. Conuncta est cum calore, congestione sanguinis ad abdomen, cum dolore majori vel minori, nascitur a sanguinis fluxu suppresso.

Character inflammatiorius est vel levis, et hoc est quod diarrhoeam simplicem, benignam vocare solemus, vel fortis. Abdomen fervet et solito magis tensum est, scrobiculus cordis ad tactum, quem male fert, dolet; evacuationes nisi quodam peraguntur et canalis intestinalis fortiter contrahitur.

Typhus diarrhoea. Irritabilitas vasorum exhalantium exaltata est, sed ipsorum vis muscularis debilitata, quo in casu lymphae crassior et magis cruda, materia coloris cinerrei a sanguine exsudato secernitur, orificiis



vasorum relaxatis. Nascitur post diarrhoeam vel dysenteriam diutinam praegressam, in consortio aliarum febrium eodem charactere praeditarum; prostratis viribus vitalibus. Vis, qua fiunt excretiones, valde debilis est.

Paralysis diarrhoea, (diarrhoea colliquativa). Utraque vis vitalis vasorum exhalantium debilitata est, oscula arteriarum quasi inertia patent, et omnia facile transmitunt. Materia secreta tetro colore est et odore. Juncta incedit aliis paralysibus, resolutione spincteris ani, et meteorismo sine dolore, sedes prodeunt nigrae, sic dictae sphacelosae. Fusca, spumosa, nigrescens, oleosa et summopere foetida secedit materia. Non est originaria; in eaque vires semper magis magisque subsident. Est sine dolore et aeger sui conscientia saepe non est. Meteorismus in hac diarrhoea non solum manet, verum et adaugetur. In febribus malignis, in phthisi et ascite consummata, a dysenteria longa, abuso purgantium suboritur. Saepe est involuntaria

excre-

excretio, quam comitantur borborygmi, qui sonum mortuorum intestinorum aqua elutorum referunt.

§. 5.

Prognosis diarrhoeae sequitur,

- 1) **C**haracterem morbi; in synocha diarrhoeae prognosis melior est, quam in typho, quia nobis semper sunt remedia aegrum debilitandi. Pessima est in paralyssi.
- 2) **D**urationem morbi; recens enim diarrhoea faciliter tollitur, quam quae jam diu duravit. In hac enim plerumque habitus jam est ortus, difficulter suprimendus.
- 3) **C**auffas remotas; si enim hae sublatu sunt faciles, ipsa quoque diarrhoea est facile sanabilis; e. c. refrigeratio, usus ciborum refrigerantium, in-

B





gesta acria. In omni diarrhoea, cuius caussae remotae morbi corporis chronicí sunt, prognosis mala est.

- 4) Constitutionem aegri; homines valde debiles, vel justo magis irritabiles, difficilius sanantur, quam homines robusti et fortes. Sequitur et aetatem; nam senes decrepitique homines facilius diarrhoea opprimuntur, quam juniores et aetatis integrae.
- 5) Compositiones cum aliis aegritudinibus; hoc vero in casu generaliter nihil determinari potest, sed prognosis sequitur eos morbos, quibus adjuncta est. Phthisis dubia et incipiens a diarrhoea accidente in consummatam mutatur.
- 6) Prognosis generatim melior est diarrhoeae idiopathicae quam symptomaticae; e. c. diarrhoea a refrigeratione orta facilius tollitur, quam quaest a phthisi mota est.

7) Denique 'prognosis speciem morbi sequitur; diarrhoea ad illos morbos referenda est, qui aegrotos maxime debilitant, et propter hoc ipsum maligna aegritudo est. Crebrioribus evacuacionibus aegro nimimum humorum subtrahitur, praeterea digestio ciborum et resorptio chyli male peragitur ob nimis celerem canalis intestinalis motum, corporique nutrimentum sibi necessarium subtrahitur.

Fusius de prognosi diarrhoeae egit LAMESMA
l. c. p. 231 - 241.

§. 6.

In medenda diarrhoea sequentes statuimus indicationes; ut

- 1) Caussae remotae tollantur.
- 2) Quibus sublatis, vel agere desinentibus, vel incurabilibus, caussa morbi proxima et quidem respectu ad triplicem

B 2





diarrhoeae characterem habito, tollenda est.

3) Diarrhoeae compositionis, ejusdemque influxus in reliquas febres in totumque individuum accurata habeatur ratio.

§. 7.

Indicatio prima est, ut cauſa remota tollatur:

- a) Si diarrhoea, e. c. in febribus inflammatoriis, ab oxymelle, nimio acidorum usu, a pomis, nitro vel aliis salibus, a tepidis mucilaginosisque potionibus etc. orta est, ea omnia omittantur, aegro potio ex similagine tosta exhibeatur; potio cretacea, ubi acrimonia acida cauſa est; simul transpiratio, quantum fieri potest, conservetur.
- b) Cum autem applicatio frigoris cauſa diarrhoeae est, vel provenit a linteis madentibus, a sudore, a reicto justo crebrius lecto etc., humores magis ad

cutem reducendi sunt. Ad hunc finem et interna prosunt et externa remedia: interne dari utiliter possunt infusum florū sambuci, pulvis doveri, opium, camphora et alia hujus generis. Egregia quoque compositio est ex camphora, opio, tartaro emetico et mercurio dulci. Externe autem applicentur calores sicci, e. c. indusia ex pannis laneis, bracceae ex eadem materia, facculi furfuribus calidis pleni, abdomini impoſiti etc.

- c) Ubi vero vermes et colluvies verminosa, vel faeces intestinorum, ab cibis male digestis, in canale intestinorum diarrhoeam moverunt; haec quidem cuncta eliminantur, et quidem prouti turgescunt. Emeticum juvat ubi vomituritio, ructus ingratus et generatim turgescentia ad partes superiores adeſt. Maxime in hoc caſu ipecacuana proderit, nam tartarus emeticus justo facilius sedes movet. Solet ejusmodi emeticum diarrhoeam ſistere, et remotione cauſſae ipsius, et



derivatione efficaciae virium vitalium
ad aliam partem.

Si autem faeces deorsum turgescunt;
caussam adesse oportet, quare per ipsam
diarrhoeam haud evacuentur. Ea vero
potest latere (maximamque partem et
latet) in spasmis. Hi vero dolore colico,
tenesmo aliisque spasticis symptomati-
bus prodi solent. Quo casu spasmi tem-
perentur, sedativa exhibeantur, e. c.
opium cum aqua chamomillae, olea
pingua, oleum amygdalarum dul-
cium, oleum ricini; abdomini catapla-
smata ex herba cicutae, hyosciami,
semine lini imponantur, et clysmata
similia applicentur; immo et lenia ecco-
protica cum ejusmodi sedativis combi-
nentur et optimo cum successu adhi-
beantur, ut anima rhei, aqua flor.
chamomillae, ipecacuna cum opio.

Amplius caussa, quare sordes in
diarrhoea non evanuantur, afferri solet,
nempe immobilitas sordium. Si

vero immobiles non sunt a spasmis, me
hanc rationem haud capere confiteor:
nam certe non possunt esse agglutinatae.
Solet tamen in hoc casu sal ammoniacum
commendari, quod sordes solvere per-
hibetur.

Si vero vermes diarrhoeam movent,
hi vel anthelminticis expellendi, vel pro
tempore sopiendi sunt, si scilicet ipsa
expulsio eorum locum impraesentiarum
habere nequit, et anthelmintica contra-
indicantur.

- d) Materiae tandem, per morbos aliorum
organorum in canale intestinali genera-
tae, vel in eundem effusae, illum male
afficere possunt. Quo pertinet imprimis
nimia pancreatis, jecinoris et glandularum
mucipararum secretio, ex qua nonnum-
quam diarrhoeae moventur. Hoc qui-
dem in casu statim in limine diarrhoea
sistit non debet, nam materiae praeter-
naturales prius sunt educendae. Igitur
morbus idiopathicus, qui diarrhoeam



effecit, primo temperandus, videndumque est, ne diarrhoea sit fortior, quam remotio materiarum id postulat. Nam et justo majorem ciere possunt diarrhoeam. Dolendum vero, quod diagnosis horum casuum tam intricata sit. Verum de his morbis infra fusius loquimur.

§. 8.

Indicatio secunda.

Caussis remotis vel sublatis, vel absentibus, vel non cognoscendis, vel haud tollendis, in diarrhoeae perdurantis caussam proximam agendum erit, et quidem relative ad triplicem ipsius characterem.

In diarrhoea, *synochaë* natura praedita, usus irritantium et calidorum, emeticorum, drasticorum purgantium, aromatum et aliarum hujus generis rerum, facile damna inferre potest, quia nova eorum irritatione, quam movent, simplex diarrhoea in enteritidem converti potest.

In diarrhoea mitiori hujus naturae mucilaginosa tententur, quibus character inflammatorius et aucta irritabilitas mitigentur. Quamobrem decoctum hordei et orizae detur, vel panis biscoctus aut similagineus, aqua fervente infusus, decoctum album SYDENHAMI, altheae, lichenis islandici etc. exhibetur. Huc etiam pertinent crassiores mucilagines, ut mucilago gummi arabici, salep, tragacanthae gummi, ichthyocollae, gelatina pedum vitulinorum. Quidam et lac recens tractum commendant.

Egregium quoque usum praefstant clysmata ex his remediis composita, e. c. ex amylo cum laudani guttis sexaginta. Clysmata sint parva, ad summum quatuor vel sex unciarum, ne volumine mox excitum moliantur. GRANT *) etiam amyolum pulverisatum interne sumi jubet simulque clyisma ex theriaca, therebinthina, vitello ovorum et lacte exhibet.

*) l. c. T. 2. p. 327.



R. Theriac. andr. unc. 3.

Therebinth dr. ij.

Vitell. ovor. unc. j.

solve et adde

Lac. recent. unc. v.

M. D.

Interdum et olea pinguia in hoc morbo
usum praefstant, e. g. oleum amygdalarum, vel
olivarum album, quod diarrhoeas et dysen-
terias suppressit, nec non juscula ex carne
vervecum parata, quibus tamquam remedium
domesticum populus utitur, licet posterioris
loco alia sint et longe tutiora.

Externe vel panni lanei, vel vesica lacte
repleta, vel cataplasmata tepida ventri impo-
nuntur, praetereaque clysmata ex chamomillis,
mucilagine avenae, floribus sambuci cum
tantillo opii dantur; interne autem lenia se-
dativa applicantur, e. c. flor. samb., chammom.,
meliss., cum vel fine aliquot laudani guttis.

Quae remedia cum non sufficient, ad
terrás absorbentes, cretam et testas concha-

rum, quae ratione ignota irritabilitatem canalis intestinalis sedant et mitigant, est recurrentum. Anglorum solitum contra diarrhoeas remedium est potio cretacea;

R. Cret. ppt. unc. $\frac{1}{2}$.

Gum. arab dr. j.

Aquae comm. unc. xxiv.

coq.

ad reman. unc. xx.

adde

Nuc. mosch. dr. $\frac{1}{2}$. aut

Aquae. nuc. mosch. spirit. unc. $\frac{1}{2}$.

Sach. alb. unc. ij.

M.D.S. Uncia una pro dosi sumatur.

Etiam singulis bihoriis drachma dimidia ad drachmam unam concharum cum aliquot camphorae granis et nucis moschatae dari possunt. Qua via pergendum erit, dum diarrhoea desinat. Quodsi vero iusto citius obstruatur, vel biliosas foeces adhuc in corpore remanentes secum habeat, singulis duabus horis cremor tartari et creta vel conchae



alternatim danda sunt *). Haec remedia fere semper in omnibus diarrhoeae simplicis casibus sufficiunt.

Si vero character inflammatorius vehementior est, et congestionis sanguinis ad canalem intestinorum haud obscura signa monstrantur, venaesectio statim instituatur, quam excipiat balneum tepidum, a balneo dosis opii. SYDENHAM **) hujusmodi diarrhoearum facit mentionem, quas venaesctionibus, decocto hordei et sero lactis feliciter curavit. Infracta hac methodo aegritudinis violentia, tractari illam oportebit remediis supra laudatis. Irritantia hic fere semper nocent, tam cathartica, quam calidiora remedia, quae diarrhoeam suffocant.

In diarrhoea, typhi charactere notata, superiora remedia prosunt parum, immo exacerbant diarrhoeam: nam in typho remedia magis roborantia erunt applicanda.

*) WEDEKINDS Auffsätze.

**) I. c. T. I. p. 102. 103. 99. 122.

In hoc casu praecaram opem praefstat arnica quam COLLINUS et STOLL commendarunt. Datur pulvis radicis hujus, quater in die drachma dimidia ad drachmam unam, vel solus, vel addita portione nucis moschatae et opii. Hoc remedium fere intra viginti quatuor horas morbum tollit. Solet etiam sequenti formula dari.

R. Pulv. rad. arnic. unc. $\frac{3}{4}$.

Nuc. mosch. dr. $\frac{3}{4}$.

infunde et diger.

Aquae fontan. q. f.

Col. unc. vi.

adde

Gum. arab. dr. ij.

Laud. liq. Syd. Scr. ij.

M.D.S: Omni bihorio cochlear unum.

Insuper theriaca andromachi, quae aromatibus et opio componitur; cortex peruvianus et officinalis et ruber, vel solus vel opio junctus; cortex simarubae per se et cum aromatibus laudantur. Aromata exotica et imprimis



nuc moschata; resina flava *); semina adiow.; vinum rubrum, cinnamomo infusum, ex sententia HUXHAMI **). Omnibus hisce remediis pro rerum conditione plus minusve opii additur.

Fraeter dicta remedia amplius acidum vitrioli, tormentillam, alumen, baccas myrtilli, lysimach. purpur. *** rad. columb. terrain catechu, G. kino, extract. lign. campech. etc. commendant.

R. Vin hungar. opt. unc. ij.

Extr. lig. camp. unc. ff.

M. D. S. Omni bihorio guttas sexaginta.

R. Gum. kino unc. ff.

Spiriti vin. gallic. unc. vj.

D. S. Omni bihorio cochlearia duo;

*) RÖMERS Annal. I. B. 3. St. 170,

**) I. c. Tom. II. p. 112.

***) HERZ Briefe an Aerzte.

Externe æger est habendus in modico
calore, cumprimis pedes et abdomen perpe-
tuo, impositis abdomini sacculis herbarum,
caleant.

R. Herbae chenopod. mexic.

Tanac. fol. crisp.

Monard aa unc. ij.

Raf. lig. sassafr. unc. ff.

C. M. D. S. ad Sacculos;

R. Theriac. an dr. unc. ff.

D. S. alluto illita abdomini forma em-
plastri imponitur.

R. Gum: galban. unc. j.

Tincturae castor. q. s. ad soluti-
fiat empl.

D. S. Abdomini imponendum:



R. Ol. nuc. moschat. expr. unc. ii.

destill. ruth.

lavend.

menth.

aneth \overline{aa} Scr. j.

M.D.S. Unguentum abdomini infricandum.

Diarrhoea a paralyssi pessima, ex qua
aeger raro salvatur. Cum vero paralysis per-
fecta per omnemque intestinorum canalem
extensa est, actum de aegroto esse videtur.

Remedia ad typhum commendata majo-
ribus dosibus applicentur, ut aromata exotica,
cinnamomum et nux moschata ad scrupulum
unum p. dos., olea aetherea, aromata, aether
vitrioli, vinum generosum, et spiritus vini,
fachari et oryzae.

Externe utiliter rosmarinus, mentha,
ruta, melissa, vino fervente vel spiritu vini
infusis, abdomini imponuntur, aut oleis aro-
maticis abdomen perfricatur, aut idem vesica-
toriis



toriis excitatur, immo et elysmata ex substanz
tiis aromaticis applicantur.

Quidam medici hoc in casu solent fomentationes frigidas commendare, imprimis meteорismo circa finem morbi ex oriente; sed periculosum esse videtur hoc consilium. Nam si paralysis cum frigore conjungitur, his principium vitale, per se jam debiliissimum, magis fere supprimi arbitror, et cum hucusque nondum satis monstratum sit, quibus casibus profuerint fomentationes, eas puto tantum ad diarrhoeam paralyticam cum calore abdominis aucto esse restringendas.

§. 9.

Indicatio tertia.

Diarrhoeae compositionis cum aliis febrilibus et non febrilibus aegritudinibus, ut et istarum aegritudinum nexus caussalis, influxus denique ejusdem in omnem oecconomium animalem, accurata est habenda ratio.



Diarrhoeam, cumprimis quae diu jam duravit, obstruere licet propter alias subito haud morbi periculum: natura enim, evacuationi jam adsueta, omnem subitam mutationem oeconomiae suae graviter fert.

Si post suffocatam diarrhoeam aegrotus bene se habet, si abdomen omni prorsus dolore liberatur, valetudinem omnino esse restitutam indicium est: ubi vero aeger inquietus anxiusque est, et durum abdomen, inflatum dolorificumque sentit, clysmatibus, lenibusque eccoproticis alvus iterum cienda est. Hoc et sit abdomine fricto, exercitio corporis, regimine diaphoretico, spec. theif. subaromat., ad congestionem humorum in abdomine dispellendam, et aequalem distributionem eorum efficiendam. Obstructiones a diarrhoea haud admittas.

In febre composita diarrhoeam obstruere fas haud est, si per eandem febris organorum nobiliorum sublata vel saltem mitigata est, si e. c. deliria, cephalalgia, symptomata pae-

cordiorum, affectio cordis et arteriarum per eam decrescunt: si diarrhoea est lenior; si vires organicae canalis intestinalis ab illa non periclitantur: si porro ea, quae necessario abire debent, evacuantur e. c. excrementa, bilis superflua; si reliqua symptomata bene convenient, pulsus se magis elevante, et aegro levamen per levem sudorem sentiente: si diarrhoea cum natura comitantis morbi convenit, cholopoesi, hepatiti, affectione pancreatis accedit, et tempore iudicationis incidit. Hujusmodi diarrhoeae praeterea plurimum charactere synochae gaudent.

Ejusmodi diarrhoeae salutares, et si ipsarum effectus in reliquas febres est omnino sensibilis, **criticae** audiunt.

Hae diarrhoeae obstruendae non sunt, immo earum impedimenta tollenda potius, ipsaque clysmatibus et eccoproticis adjuvandae, si sint forte justo debiliores.



Damnosae evadere possunt diarrhoeae febrium compositarum et intentione virium organicarum vasorum et muscularium fibrarum canalis intestinalis, et jactura humorum. Homo sanus a diarrhoea debilitatur, multo magis ergo aegrotus; quare et illa in febribus maximopere est metuenda. Hinc et germanici medici apprime timent, diarrhoeam in febribus compositis suppressimere. Observatae sunt epidemiae, quibus aegrotantes moriebantur omnes, per diem plus quatuor vicibus alvo soluti.

Sunt autem noxiae diarrhoeae:

- 1) nimis fortes, quae nimios humores evacuant et vires organicas intestinalis graviter afficiendo, paralyses inferunt. Plus quater in die desidere, nocuum.
- 2) nimis longae: tunc enim per temporis diuturnitatem id damni afferunt, quod sub conditione praecedentis momenti intentione dare solent.


- 3) nullum reliquarum febrium levamen
afferentes, sed easdem augentes, viribus
a quavis sede magis sidentibus.
- 4) diarrhoeae typhi, vel paralyseos cha-
ractere notatae.
- 5) humores sinceros, sanguinem, lym-
pham tetram et mali coloris, viridem-
que materiam eliminantes.

Supereffet jam, ut indicarem rationem diar-
rhoeae in febre composita ad reliquas febrium
species, e. c. variolas, morbillos, febrem
biliosam, pneumoniam, hepatitidem aliosque
ejus generis morbos, quibus scilicet illa est
composita. Sed cum haec tractare a scopo
meo alienum foret, lectores remitto ad
cel. LAMESMAE librum (l. c. p. 169 - 199.)
itemque ad HUXHAMI et SYDENHAMI ea de re
scripta celeberrima.

T H E S S.

- 1) Paralyisin generibus febrium adnumerandam esse censeo.
- 2) Morbi sic dicti organici parum bene in pathologia generali tractantur.
- 3) Cibi et potus non solum nutriendo, sed etiam irritando in corpus animale agunt.
- 4) Virtus medicamentorum mercurialium in morbis venereis ab Oxygenio illis admisto pendere videtur.
- 5) Resorbtio per cutem non omnino est denganda.
- 6) Carbonicum et Hydrogenium transpiratione cutis evacuatur.

- 7) In sudore aqua non a sanguine secerni,
sed produci videtur.
- 8) Hydrops et oedema pedum, ex febre in-
termittente superfites, cortice fugatur nec
ab illo excitatur.
- 9) Medicamenta antiseptica nego.
- 10) Febris vasorum non genus sed species
est.
- 11) Haemorrhoides sic dictae ferosae leucor-
rhoeae adnumerandae sunt.
- 12) Vermes potius ad generalem quam ad
specialem pathologiam pertinent.
-



WB

Pica



δειχθείς· πᾶσιν, ὡς Φιλότης, τοῖς προσιοῦσί σοι
καὶ τὴν σὴν ἐπικουρίαν βγαίνει προθύμως πάρεστο,
Φιλανθρώπως τὰς αἰσθενείας αὐτῶν ιώμενος, καὶ
ἐνάστρῳ τῷ ὑγιαινεῖν ὡς θέμις χορηγῶν· ἡμῶν δὲ
διεστάμενος, συνεχῶς τῆς ὀσημέραιης ἡμῶν συκουσίας
μέμνυστο, ἀκαπτηλεύτῳ δὲ Φίλια Φίλει τὸν εἰρ-



2

DE
DIARRHOEA,

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRO

CONSEQUENDIS SUMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS

ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

A U C T O R

FRIDERICUS WILHELMUS ZAHL,

BEROLINENSIS,

SOCIET. SYDENH. HALENS. SOCIUS.

HALAE,
IN OFFICINA BATHEANA.